



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 54. Hospitalarii Equites Rhodum occupant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

rum litteras redundare philosophia vana ad errores noxios sternente viam.

Sæcul. XIV.
A.C. 1311.

§. LIV.

Hospitalarii Equites Rhodum occupant.

Interim orta est gravis controversia Genuenses inter ac Hierosolymitanos S. Joannis Equites. Hi anno 1308 impugnatam insulam Rhodum biennio post occuparunt duce Fulcone Ordinis Magistro, adjuvante magno Christianorum exercitu. Possederant tunc illam Turcæ Constantinopolitano Imperatori Græco obnoxii. Adempta his fuit an. 1310 die Assumptæ in cœlum Virgini sacra 15 Augusti, qua multum sanguinis fundebatur. Ex hoc tempore Hospitalarii Equites S. Joannis vocabantur Rhodii.

Baluz. i. vit.
p. 34. 72. 99.
105.

Sub idem tempus ceperant Genuensium triremem oneratam mercium genere, quo negotiari cum Saracenis non erat licitum. Respublica misit Antonium Spinolam, qui triremem reposceret. Verum Equites negabant se posse illam reddere sine permisso Papæ, qui jussisset ipsos curare observationem canonum ejusmodi merces prohibentium. Tum Legatus Spinola cum Nobilibus aliis

Rayn. 1311.
n. 74.

Histor. Eccles. Tom. XXII. A a a Ge-

Sæcul. XIV.
A.C. 1311.

Genuensibus Turcas adiit, stimulavitque, ut retinerent ducentas quinquaginta triremes Rhodias commercii causa suis in portibus hærentes. Genuenses etiam dicebantur cum Turcis Græcisque, ut Hospitalariis Rhodum eriperent, pactiones conflasse; pluresque horum Equitum captos & coniectos in vincula ad pendendum redemptionis pretium compulsisse. Papa delatis ad se querelis Genuenses per epistolam monuit, ut plecterent harum violentiarum authores, illosque, qui de foedere cum schismaticis, cæterisque fidei hostibus auderent loqui. Dabat 20 Nov. 1311.

§. LV.

Templarii supprimuntur.

Baluz. 1.
p. 58. 45.

Papa semper agebat Viennæ: ubi post primam Concilii sessionem per reliquum anni tempus fiebant colloquia de rebus ibi decidendis, præsertim de causa Templariorum. Legebantur tabulæ contra hos confectæ: & cum Papa Præsules singulos rogasset sententiam, inter eos convenit defensiones Equitum audiendas esse. Hæc erat sententia Italiae, Franciæ, Hispaniæ, Germaniæ, Daniæ, Angliæ, Scotiæ, ac Hiberniæ Præsulum, præter unum Italicum, ac tres Gallicos Remo-